peccatorumq veniam denunciarent. Indicat id
cœlestis illa aqvila, D. Johannes, cùm his narratori-
is utitur verbis: Afflavit Christus discipulos suos, Joh. XX. 22 et 23.
dixitq iis: Excipite S. S.: si qvorum peccata remi-
seritis, remissa sunto; si qvorum verò retinueritis
peccata, retenta hæc sunto. Qvid clarius potuis-
set narrari spirituali hâc debitorum expunctio-
ne: ad qvam denunciandam ablegandi in universum
terrarum orbem erant Apostoli, iidemq et deinceps
his ablegati sunt verbis: Ite in mundum universum,
et prædicate Evangelium, h.e. gratuitam remissio-
nem peccatorum, omni creaturæ: Intelligite, A. S.
omnem creaturam rationalem, h.e. omnes homines
esse, qvibus videl. peccatorum venia, eaq propter
Christum verâ fide apprehendendum merè gratuita
futura, denuncianda erat. Cumprimis autem
id fieri debebat in sanctissimo ejus nomine: qvi vero
Pontifex ac Propitiator noster, per qvem Patri con-
ciliamur, qvi os nostrum, per qvod cum Patre loqvi-
mur, qvi oculus noster, per qvem Patrem videmus:
qvi dextra nostra, per qvam nosmet ipsos tanqvam
gratam hostiam Patri offerimus. Hic qvippe ni-
si peteret pro nobis ac rogaret Patrem, nec no-
bis, nec sanctis omnibus qvicqvam cum illo esset
negotii. Ne dicam: qvod nulla futura esset
exauditio. Audiamus ipsum verbis id diser- Ephes. III. 12
tissimis asseverantem: Amen, amen dico vobis: